
IN OBITV MARCELLI SACCHETTI

S.MI D. N. DEPOSITARII GEN.

ELEGIA

FRANCISCI ROSSERMINI PISANI
I. V. AC SACRÆ THEOL. DOCT.





ROMÆ, Ex Typographia Francisci Corbelletti. MDCXXIX.

SVPERIORVM PERMISSV.

Sumptibus Ioannis Francisci Pierÿ.

Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. P. Magistro Sacri Palatij Apostolici.

A. Episc. Bellicastren. Vicesg.

Imprimatur.

Fr. Antoninus Cellius Magister, & Reuerendiss. P. Fr. Nicolai Riccardij Sacri Palatij Apost. Magistri Socius, Ord. Pręd.

ILLVSTRISS. PRINCIPI
IVLIO CARD.
SACCHETTO
FERRARIAE LEGATO.

FRANCISCVS ROSSERMINVS F.



EQVIT intra humani pe-ctoris anguſtias ità coërceri dolor immenſus, Princeps Illuſtriſsime, vt aliquando tandem non prodeat, atque erumpat in publicum. Ego quidem nuperrimè ex obitu Franciſci Ricciardi Auunculi mei, viriq. optimè de me meriti, tibiq. addictiſsimi plurimum percepi mœroris: ſed audita demùm eodem penè tempore Marcelli fratris tui morte, & acceſsione facta tam flebili ſupra quam dici poſsit triſtatus ſum, atque in lugubria hæc Carmina, quia ab occupato iam pectore capi om-

ninò non poterat, repentè nouus dolor redundauit. Et ſanè par erat in Fratre tuo lugendo communem à me excedi modum, quando & ille iam viuens in me iuuando (quod eſt

Verus amor) nullum nouit habere modum.

En igitur ad te recurrit canorus hic dolor, quia, cum omnium quidem, ſed tuam in primis conqueratur iacturam, vni tibi peculiari etiam iure debetur. Et quoniam, cum meo emergat è pectore, non aliò, quàm ad humanitatem tuam ſcit properare, à qua, vt ſæpe olim in meis moleſtijs, ità nunc (nam grauiùs, quàm æquum ſit, nulla vnquam re commouêris) ſolatium ſperat vel in tuis. Excipe hunc ipſe, qua cœtera ſoles, beneuolentia, nec verſus, licet incultos, ac rudes, aſpernare, memor nihil vnquam à luctu cultum, aut elègans prouenire. Vale.

ELEGIA.



VLCISONIS assueta modis iam guttura Syren
Solue age in infaustum, funereumq. melos,
Velle & inaurata rutilos à fronte capillos,
Pulcraq. sollicita pectora tunde manu:
Heù iacet ille tuus, iacet heù gratissimus hospes
Marcellus, Romæ pignus, Amorq. iacet.
Ecce gemit queruli Sebethus murmure fluctus,
Et, quas vrna dabat, lumine fundit aquas,
En & Pausylipum curas abducere suetum
Nunc procul à se se gaudia sola fugat.
Praue humor, corrupte humor, tu carmina poscis
Tristia, tu nobis funera tanta paris,
Viuida membrorum Marcelli in corpore virtus
Per te par trunco reddita nempe fuit,
Ipse illi algenti texisti lumina velo,
Ante diem vt raperes inuidiose dies,
Neue insectantis fugeret vestigia mortis,
Ausus es arcano stringere vecte pedes,

Ipse

Ipſe quoque audiri vetuiſti verba, ſonosq.
Tabificum gignens aure in vtraque gelu.
Proh dolor! Ergo aures, dudùm patuere benignè
Quæ ſemper populis, obriguiſſe queant?
Illane torpeſcant miſerè veſtigia, quæ mox
Tam cita Romulidùm ad commoda fecit amor?
Siccine crudelis concludat lumina morbus,
Lumina, quæ nequiȷt claudere ſæpe quies?
Quæque etiam ingenio iam proſpectura ſagaci
Nouimus egregiȷs inuigilaſſe libris.
Ecce Machaoniȷ concurrit turba Senatus
Doctior, extremis conſuliturq. malis,
Aſt animus Marcelle tuus, dum corpora languent,
Firmior eſt, damnis erigiturq. magis,
Ac, ſiue ingratis portentur pocula ſuccis
Plena, ingrata licet, pocula plena bibis,
Seù, iuuet attingi ferro ſi corpus, & igne,
Attingi ferro corpus, & igne ſinis.
Sic tandem exiguum præbet medicina leuamen,
In ſua paulatim membra reditque vigor.
O quibus hoc animis agnouit Roma, nouæq.
Foelix lætitiæ qualia ſigna dedit?
Nauta procelloſi vexatus ab Aequoris vndis,
Stella vbi pacatum ſpondet amica ſalum,

Non

Non ità post imbres, tempestatesq. minaces
Spem desperatæ gestit adesse rati:
Vt sua Romuleæ monstrarunt gaudia gentes,
Gaudia post luctus ab repetita graues;
Scilicet extemplò faustissimus vndique plausus
Exoritur, populi risus in ore micat;
Plenior vtque salus reddatur ab Axe, salutis
Auctori dantur vota, precesq. Deo.
Interea linquens vrbis Marcelle Latinæ
Moenia, Parthenopes regna beata petis,
O ibi quàm miti spirat Clementia Coelo,
O ibi quæ virtus indita regnat aquis?
Vbertas ò qualis agris, quæ gratia syluis
Semper inest, quantus floret vbique lepos?
Elysios transfers aliò cur fabula Campos?
Certè, vsquam si sint, his decet esse locis.
Sed nihil heù fontes, Baianaq. lympha valetis,
Ipsaq. foelicis nil iuuat aura Poli;
Cuncta lues spernit, viresque, artesque salubres
Vincere, & ingenium Pæonis illa potest:
Quin etiam extemplò morbo grassata maligno
Perdere Marcellum mors inimica parat.
Audijt hoc, moestoque ciens suspiria corde
Ausonia infandos fudit ab ore modos.

Iacturamque simul placidi gemit ille Patroni,
Ille & amicitiæ pignora grata gemit.
Hi sibi consilium, columen sibi dulce sinistris
Flent illi in rebus, præsidiumq. rapi:
Commoda deplorant miseri, sua præmia & Artes,
Ac rarum virtus, nobilitasq. decus;
Ipse etiam VRBANVS triplicis Rex Inclytus Orbis
Conqueritur cari certa pericla viri,
Consulit atque animæ sublata à crimine poena,
Quandoquidem vitæ consuluisse nequit.
Tu tamen heù tandem langues Marcelle, nec Vrbi
Ausoniæ incolumis restituende peris,
Ergo peris, dulces nequijsti & cernere amicos?
Ergo peris, Fratres Astraq. adesse vetant?
Ah saltem nostris licuisset claudere in oris
Lumina, & extremum dicere voce vale:
Vidisses sic ipse virùm per lumina fletus,
Sensisses tristes corde gemente sonos,
Totaque, cùm feretro Sacram veherеris ad vrnam,
Agmine cum magno Roma sequuta foret;
Sed fera sors vetuit. Verùm vetet impia quamuis,
Non tamen in Tumulo postmodo solus eris,
Sed nullos mens grata hominū abscessura per annos
Hic memor extremos viuet ad vsque dies.

FINIS.